

tie glutinosa quod sponte aut montibus deuoluitur, aut è  
 terra scaturit, lacubus fontibus ue innatàs. Quod à Ba-  
 bylone Zacyntho aut Apollonia inuehitur liquidum est.  
 Terra est in Syria circa Sidonem, limus in Iudea lacu  
 auct. Plin. lib. 35. cap. 15. Galenus tamen lib. simpli-  
 ciu. Bitumen in Syria è stagno salso haberi prodit. Quod  
 de bitumine Iudea narratur, adeo sequax esse & lenta  
 natura vt ad omnem contactum adhæreat, nequeatq; à se  
 separari, sed si partem abrumpere velis, vniuersitas sequa-  
 tur, vbi autem adnota fuerint mēstruis polluta fila sponte  
 discerpatur, quod asserunt Plin. lib. 7. cap. 15. & Soli-  
 nus cap. 4. Cornelius verò Tacitus lib. 21. falsum esse  
 prodit, gnaros enim locorum tradere vndantes bitumine  
 molles pelli, manuq; trahi ad litus, mox vbi vapore terræ  
 vi Solis inaruerint securibus, cuneisq; vt trabes aut saxa  
 discindi. **ITEM IOPPE.** Ioppe inquit Solinus  
 cap. 47. oppidum antiquissimum orbe toto vt pote ante  
 inūdationem terrarū conditum, ibi est lacus bituminosus.  
**ETIAMQVE EST IN CAPPADO-**  
**CIA IN ITINERE QVOD EST IN**  
**TER MAZACA ET TVANA.** Scri-  
 bendū inter Mazacam & Tuanam, accusandi casu. Ma-  
 zacam appellari Cæsaream ab Augusto, sitamq; esse sub  
 Argeo monte auctor est Sext. Rufus. Meminit Plin. lib.  
 6. cap. 3. Tuanam autē vocat Tyanam Plin. eodē loco.  
**AD EVNDEM MODVM HIERA-**  
**POLI.** De ea aqua hūc in modū tradit Strabo lib. 13.  
 Geographiæ. Contra Laodiceam Hierapolis, vbi aquæ ca-  
 lidæ scaturiunt, & vbi Plutonium est, quæ vtræq; nō par-  
 uam admirationem præstant. Nam aqua, adeo facile in